

bilem Christianorum armaturam inter persecutiones unicam extulisse Communionem, quam etiam ob causam in sæculis istis admodum periculosis Ecclesia permittebat, ut fideles panem hunc consecratum domum secum deportarent, ut occasione data, atque persecutoris tyrannide imminente hoc se pabulo cibare, atque munire possent; cujus et Apostolus ab Alberto Magno citatus, meminit in hæc verba: Rogo vos, accipite cibum pro salute vestra, quia nullius vestrum capillus de capite peribit; cibus enim salutis saluberrimus omnibus, et confortat in gratia, et salvat a periculo. *BAN. Ann. 235, n. 5.* Hoc sane calice inebriati erant Martyres, inquit S. Augustinus, quando ad passionem euntes, suos non agnoscebant. Quid tam ebrium, quam non agnoscere uxorem flentem, non filios, non parentes? Nolite mirari, ebrii erant; acceperunt calicem, unde inebriarentur. *S. AUG. in Ps. XXV.*

Utilitas ad vitam æternam promerendam; uti Sanctus Th. de Villanova indicavit dicens: Quod si panem quemdam invenies, qui vitam tuam per centum annos servaret incolumem, numquid illum quovis thesauro gratiore haberes, et custodires? Numquid non sicut oculi pupillam, panem illum servares? Nonne illum omnibus mundi deliciis antepones? Talis autem est panis Eucharisticus, hic panis vitam edenti præstat, non centenariam, sed æternam vitam, jucundam vitam, beatam vitam, omnium honorum plenitudine felicissimam. *S. TH. DE VILLANOVA. Conc. 1, in fest. Corp. Christi.*

Utilitas ad temporalia bona acquirenda; ut iterum Salmeron indicavit, dicens: Temporalia bona nobis minime defutura, satis comprobant hæc tam larga et incomprehensa Domini liberalitas. Nam qui nos suo Corpore et Sanguine pascit, quomodo modica hæc et contemptibilia hujus mundi bona ad ducendam vitam denegabit? *SALMER. t. IX, tr. XXV.*

Utilitas ad delicias animæ obtinendas. Cujus enim vel ferreum pectus, inquit Sanctus Laurentius Justinianus, aut adamantina mens non liquescat præ devotione, cum Deum sibi, et se Deo senserit corporaliter unitam? Non capit cor, lingua deficit, humanus sopit sensus ad investigandum tanti arcana Mysteriorum. O quantæ ibi deliciae, quantus ardor, qualia verba, quam vehementis amor, quam casti amplexus gustantur! *S. LAUR. JUSTIN. de Discipul. Monast. c. XIX.*

Quod confirmans S. Cyprianus: Panis iste Angelorum, inquit, omne delectamentum habens, virtute mirifica omnibus, qui digne et devote sumunt, secundum sum desiderium sapit. *S. CYPRIAN. de Cena Domini.*

Utilitas ad perseverantiam tenendam, teste Sancto Bernardino dicente: Roborat mentem, et quodammodo carnem; mentem, ut persistat in bono; carnem, ne ruat in malum. Roborat mentem, ut persitat et crescat in bono, nam per hoc, quod mens per gratiam conjungitur in sacra Communionem Christo, spiritualis ejus vita roboratur et confirmatur, sicut corpus roboratur per cibum. *S. BERN. t. I, ser. lvi, n. 4, c. iv.* Idem quoque, in Art. 3, cap. 3, ejusdem sermonis subnectit, dicens: Facit hoc Sacramentum perseverare in via Dei usque ad finem vite. Omnes virtutes sine perseverantia contra vitia pugnare possunt, sine perseverantia autem vincere nequaquam possunt. Cum igitur hoc Sacramentum in itinere Dei roborat et confirmet, ex consequenti sequitur, quod per illud anima perseveret. *Ib. art. 3, c. iii.*

Utilitas ad demones superandos; nam tamquam leones ignem spirantes, teste S. Chrysostomo, recedimus ab ista mensa, facti diabolo terribiles. *S. CHRYS. hom. vi ad Pop. Quia ibi infirmitatem nostram, ait Franciscus Abbas, novit, qui nos condidit, fortique et armato, nisi fortiore nos protegente, fragiles et inermes non posse resistere contra implacabile hostis antiqui odium, panis quotidiani inexpugnabile nobis contulit presidium. FRANCISCUS ABBAS, s. X, de Grat. Dei.*

Hinc Sanctus Augustinus ad inimicum infernum discursum suum dirigens, in quodam sermone his verbis ei improperat: Ille sanguis, quem effudisti, te viciit, me redemit. Illum bibo, et veneni tui perniciem salvatus ultra non timeo; praevaluisti in Paradiso, sed victus es in patibulo, vel etiam addere possumus, in conaculo; quia per institutionem Eucharistiae, in ultima cena factam omnes ejus vires prostravit. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, et gladium, et bellum; ubi de Conaculo Sion loquitur. *S. AUG. s. cxxii, de Temp.*

Utilitas ad liberalitatem nostram promovendam. Hoc enim solum datum est, ait Sanctus Anselmus, quod omne datum est; quia in hoc dato nihil privatam sibi Christus retinuit, Humanitatis simul et Deitatis nobis omnia dona conferens. *S. ALBERT. dist. II,*

tr. II, c. VI. Et iterum: Magna dona Christi in hoc convivio, Corpus dedit in cibum, Sanguinem in potum, Animam in pretium, Deitatem in condimentum exhibendo. *Idem, c. ii.*

ALIA MOTIVA.

«Frequenter et digne suscipienda Eucharistia,» propter Christi *mandatum* (hoc facite in meam commemorationem) *desiderium* (desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum) et *gaudium* (nam deliciae ejus sunt esse cum filiis hominum).

«Quia ut verus panis vitam spiritualem conservat;» si enim quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et hic effectus attribui potest Corpori Christi.

«Quia crescere et pinguescere facit in Spiritu,» juxta testimonium S. Augustini, cui dictum a Christo: Cibus sum grandium; cresce et manducabis me; et non mutabis me in te, sed tu mutaberis in me. Et hic effectus animæ Christi, cujus officium est nutrire, convenit.

«Quia robur tribuit contra hostes,» juxta illud Davidis: Parasti mensam in conspectu meo adversus eos, qui tribulant me.

«Quia singularem animæ delectationem affert,» juxta testimonium Ecclesiae in officio Corporis Christi canentis: O quam suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de celo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes. Et hic effectus divinat recte tribuitur, quæ est fons omnis suavitatis et dulcedinis.

«Quia mire conducit ad mentem illustrandam, etsapientiam celestem acquirendam;» uti expertus est S. Edmundus, post acceptam Eucharistiam altissime de SS. Trinitate disputans. Et hic effectus Sanguini Christi (ex quo spiritus animales tantopere ad intelligendum necessarii hauriuntur) adscribi potest.

«Quia optimum et efficacissimum est medium ad progressum in perfectionis studio faciendum;» ut olim Elias in fortitudine panis ab Angelo dati, quadraginta diebus celerissime ecurrit usque ad montem Dei. Et hic effectus toti Sacramento attribuentis est.

«Quia mirum in agone ultimo solatium affert,» utpote pignus gloriæ, de quo Eccl-

sia canit: O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futura gloriæ nobis pignus datur! Et hic effectus Eucharistiæ ut viatico, convenit.

«Quia ipsi Patri æterno summe placet, filios huic mense spirituali assistentes videre,» juxta illud Davidis Ps. 127. Filii tui sicut novellæ olivarum in circuito mense tue.

MEDIA.

Ad amorem et cultum Eucharistiæ excitandam.

Magna astimatio, quæ obtinebitur, si bene ponderentur tres admirandæ qualitates, quæ nobis illam amabilem et summe astimabilem efficiunt. Nimirum 1. Quod sit ex amore tota composita, et, ut S. Thomas vocat, Sacramentum amoris, vel, juxta S. Bernardum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum; vel, ut alii, mamilla Dei Patris. 2. Quod sit tota admirabilis, tum propter plurima miracula, quæ in ea conficienda interveniunt, tum ob deificationem carnis nostræ, tum ob epitomen et anacephaloesim omnium beneficiorum a Deo in nos collatorum, omniumque admirandorum, juxta illud Davidis: Memoriam feci mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus. 3. Quod sit Paradisi terrestris; si enim esse cum Jesu per amorem est dulcis Paradisus, teste Thoma Kempensi, quanto magis hæc gratia illi concedetur, qui per realem quodammodo unionem Christo unitur, uti fit in hoc Sacramento?

Frequens visitatio et conversatio per orationem coram Venerab. Sacramento instituta; per talem enim conversationem cognoscitur magis ejus amabilitas et amor infinitus, animaque vicissim ad amorem mutuum incitatur. Hinc Sancta Catharina Senensis intuens S. Hostiam, videbatur sibi intueri fornacem ardentem ad inflammandos omnes, qui propius accessissent, idoneam. Expertus id est F. Cherubinus, Ordinis S. Francisci, qui in concionibus non nisi ignem spirare videbatur, eo quod coram SS. Sacramento suos affectus concepsisset. Hinc sexaginta sex millia animarum ab eo conversarum in morte illi adferunt, et ad cælum duxerunt.

Crebra et digna realis sumptio; ut enim

per amplexum et conjunctionem carnalem amor carnalis maxime demonstratur et augetur; ita per unionem, quæ fit inter animam et Christum in hoc SS. Sacramento, tanto magis crescit amor spiritualis et Eucharisticus, quanto firmiter et intimior et sapidior est dicta unio, quam carnalis.

Sæpius iterata spiritualis communio; eum enim, teste Concilio Tridentino, illi, qui voto cœlestem panem edentes, fide viva, quas per dilectionem operatur, fructum ejus et utilitatem sentiant, merito tanto efficacius hæc communio medium ad augendum amorem erga Sac. Eucharistiam censendum est, quanto frequentius ea per diem iterari potest. Sess. XIII, t. VIII. Hinc S. Gertrudis tali modo communicans, lateri Jesu admota audit: Bibe nunc de corde meo spiritaliter suavissimæ Divinitatis meæ efficacem influxum. Lib. IV, *Instruct.* c. XIII. Certe B. Agatha a Cruce, hujusfructus conscia et cupida, quotidie ducentes hanc communionem spiritualem iterabat. *Hagioph.* intent. XXIV.

Frequens de hoc SS. Sacramento sermociatio; sic Brasiliæ docuerunt, qui die sumpcionem Eucharistiæ præcedente nonnisi de illo miscuere colloquia, uti in vita P. Anchiætæ legitur. Hæc sane vel maxime impletur illud Ecclesiastici: Lingua eucharis in homine bono abundat. Et: Ex abundantia cordis eo loquitur. Eccl. c. vi.

Festorum aut dierum ab Ecclesia huic cultui destinatorum peculiaris observatio; si enim, qui amant, natalem amatam diem singulari festivitate lætitiæ celebrant; quanto magis natalem Eucharistiæ diem, uti Ludolphus vocat feriam quintam, peculiari devotione celebrari convenit ab iis, qui crescere in illius amore cupiunt?

Reverentia singularis Sacerdotibus exhibita; hæc enim quanto major fuerit, tanto magis cresceret estimatio, et per consequens etiam amor Sacramenti. Certe Sanctus Franciscus dicere ausus est, se, si Sanctus aliquis de cœlo et pauperulus Sacerdos simul obdiarent, ad manus Sacerdotis exosculandus prius accersurum, eo quod Verbum vite illic contrectent, et ultra humanum aliquid possideant. *Martyr. Franc.* 4 Oct. Imo Juniperus ejus discipulus nunquam sacerdoles, nisi flexis genibus, allocutus est, sciens nimirum, quod S. Ignatius Mar. dixit, sacerdotium esse omnium bonorum, quæ in hominibus sunt, apicem. Ib. 7 Dec.

Ad eandem digne sumendam.

Ardens desiderium; ita enim Christus ipse indicavit, dum dixit Apostolis: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum. Et hoc nimirum videtur præfiguratum per cœnaculum amplum, quod parari jussit ad SS. Sacramentum instituendum. Nam, ut recte S. Augustinus dixit, desiderando capax efficeris, ut implearis.

Evacuatio sui; ita iterum Christus S. Gertrudem docuit, dum illi dicenti: Quali dignitate obviabo tibi, cum tam largifluis dignaris venire ad me? respondit: Nil aliud requiro a te, quam quod evacuata venias ad recipiendum; quia omne, quod mihi placuerit in te, hoc per donum meum totum accipies. Lib. IV, *Instruct.* c. vi.

Generosa victoria; juxta illud S. Joannis: Vincenti dabo manna absconditum. Apoc. II, 17. Debet autem triplex esse hæc victoria, juxta Ludovicum de Ponte. 1. Contra peccata tam venialia, quam mortalia, ut ea deleantur per poenitentiam. 2. Contra inordinatas passiones ad voluptates et delicias quinque sensuum propendentes; nec enim prius Israelitæ manna gustabant quam farina, quam ex Ægypto secum exportaverant, defect. 3. Contra cordis distractiones et vagationes, quæ adumbrate olim sunt per Ægyptios, qui sequebantur Israelitas, eosque a cultu divino impedire volebant. Tom. I, de *Perf.* tr. IV, c. VII.

Immaculata vitæ studium; quam quidem Christus dispositionem per pedum lotionem indicavit; Deus vero per Arca pro Manna deputatæ interiori constructionem, dum totam auream esse voluit, indicavit. Et sane qui hoc medium adhibet, gratissimam Deo dispositionem attulisse censeri, dicereque cum Davide potest: Totis viribus præparavi impensas domus Domini, non enim homini preparatur habitatio, sed Deo. *RODRIG.* p. II, tr. VII, c. XII.

Imploratio Sanctorum ad supplendam per merita sua indignitatem suscipiendam; ita Christus S. Mechtildem docuit dicens: Quando sacram Communionem perceptura es, desidera et opta ad laudem nominis mei habere omne desiderium, omnemque amorem, quo unquam cor aliquod erga me flagravit, et ita ad me accede; nam ego amorem illum in te attendam atque suscipiam, non sicut

in te est, sed sicut velles eum in te esse. *BLOSIUS*, in *Monit. Spir.* c. VI.

Effusionis post Communionem vitanda studium; ita Thomas Kemp. indicavit, dum dixit: Oportet, ut non solum te præpares ad devotionem ante Communionem, sed ut etiam te sollicitè conserves in ea post Sacramenti perceptionem. Nam bona postmodum custodia iterum est præparatio ad majorem gratiam consequendam. Lib. IV, c.

Hinc virginem non vulgari sanctitate præditam dicere solitam accepimus: Quo die communico, omni custodia servo cor meum, Christum quasi ibi quiescentem cogitans, omnes exterioris modestiæ, qua in verbis, qua in visu, qua in incessu numeros obeo, ut, qui digito ori silentium inuit, ne unde dormiens quispiam obturbetur.

Mortificatio et castigatio carnis; id quod Salvator forte indicare voluit, dum asino (per quem multi Sancti corpus suum intellexerunt), insidens, in Jerosolymitanam civitatem (per quam anima Deum videndi et fruendi cupida intelligi potest) introductus est. Pulehra etiam id ipsum docuit Hugo de S. Victore, dum tria esse Sacrificiorum genera dicit: unum Dominici corporis, alterum contriti cordis, tertium mortificatæ carnis; atque adeo oportere præcedere sacrificium humilitatis in mente, afflictionis in carne, ut habeatur, devotio in Dominici corporis consecratione.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, quis sit *primarius finis Eucharistiæ institutæ*, quem quidem brevis indicavit Sanctus Bernardinus, dum dixit: Ad hoc Sacramentum istud conficitur, ut ex frequentatione ipsius intuentes quotidie Christi sanguinem effusum, sic de Christo passo nostra memoria repleatur, quod nostro semper fixus sit in corde, qui semel pro nobis fixus fuit in cruce. Hinc quoties hujus Hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ Redemptionis exercetur. S. BERN. tom. II, s. LV, a. 1, c. II.

Et confirmans id ipsum Francus Abbas: Quem suavis gustus, inquit, vini hujus demulcet pressuram torenularis non recusat, ideo et aqua mysterio nostro miscetur, et sic Sacrificium acceptabile Deo offertur, quia tunc gratam Deo passionis Christi Hostiam immolamus, quando et ipsi passionibus ejus

simul patiendi communicamus. FRANCUS ABBAS, ser. X, de *Gratia Dei*.

Nosse debet, *cur Eucharistia sub specie panis et vini sit instituta*; cujus rationem in primis assignat S. Th. sic loquens: Panem, tanquam inter alios cibos materiam aptissimam elegit, tam ex parte illius, qui illum administrat, quam ex parte recipientis; est enim in primis panis aptior ex parte illum administrantis, quia majori cum facilitate in quovis loco et tempore reperitur, non vero item aliæ res comestibiles. Præterea panis hanc in se dispositionem habet, quod longo tempore conservari possit, est enim materia ejus purior et mundior, faciliusque dividi, et ex uno loco in alterum transferri potest. Quanto vero ex parte recipientis, ad hoc Sacramentum panis quoque aptior magisque idonea materia est præ cunctis aliis cibis, quia hæc accidentia Sacramentalia nullum adescere possunt sanitati noxamentum, prout alii cibi nonnumquam faciunt. Quod vero panem hunc triticum esse voluerit, hujus assignat rationes; primo propter grani hujus præ cæteris naturalæ nobilitatem; inter omnia enim grana triticum nobilissimum est, ac proinde justum erat, ut panis ille inde conficeretur, pro quo habendo æternum Patrem quotidie rogamus: Panem nostrum supersubstantialem da nobis. S. Th. *apud Mansi*, disc. IV in IV.

Aliam adhuc rationem assignat Hugo Victorinus, dum ait: Voluit Sapientia Dei, quæ se per visibilia manifestat, ostendere, quod ipsa animarum refectio sit, et eibus; et præterea carnem assumptam in edulium proposuit, ut per cibum carnis ad gustum invitaret divinitatis. HUGO VICTOR. p. VIII, lib. II, de *Erudit.* *Theo. sacr. fidei* c. VIII.

Didacus Stella tertiam affert rationem dicens: Non solum ejus altitudo Sapientiæ ostensa est per hoc, quod cum homine mansit, sed etiam per modum, quo id facere excogitavit; nam eo modo, quo mors in mundum intravit, voluit, ut eodem intraret vita; per eum ligni vetti intravit mors, per eum etiam intravit vita. DIDACUS STELLA, in c. XXII *Luc.*

Quartam addit S. Bonaventura, dum ait: Quoniam nihil magis idoneum est ad refectionem, quam cibus panis, et potus vini; nihil est etiam magis idoneum ad significationem unitatis Corporis Christi, veri et mystici, quam panis factus de mundissimis acinis, et vinum expressum de purissimis acinis

in vinum collectis; ideo sub his speciebus magis quam sub aliis debuit hoc Sacramentum exhiberi. S. BONAV. t. V, par. VI, in *Breviolo*, c. IX.

Quintam denique S. Basilii assignat, dicens: Christus in panis et vini speciebus sumi se voluit, ut horrorem adimeret, qui esset futurus, si præcepisset nobis, ut sumeremus carnem ejus et sanguinem in propria specie; ad hæc externæ nationes nos reprehendissent, veluti carnivoros, quod ferarum instar sanguinem biberemus, et crudam carnem vorarem. S. BASIL, in *Encom. SS. Martyr.*

Nosse debet differentiam inter comestionem cibi naturalis et Eucharistici, quam S. Bonaventura his verbis assignavit: Hæc est differentia inter comestionem corporalem, et spiritualem, quia ibi cibum comestus transit in substantiam et nutrimentum comedentis; hic vero comedens incorporatur Christo, et transit in amorem et unitatem Corporis Christi. S. BONAV. tom. VII de *Præpar. ad Miss.* c. VII.

Nosse debet, quod, quando S. Thomas dixit, in *hymno Lauda, Sion, etc. Sumit unus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille; hoc tantum intelligendum sit de substantia Corporis Christi, non autem de gratiæ collatione.* Nam sicut Manna quoad quantitatem omnibus quidem æquale, quantum ad sapores (siquidem probabilis est opinio, quod sapores hos illi specialiter participarint, qui in gratia et amicitia Dei constituti erant. Unde de Manna dicitur: «Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes»), ostendebat, eodem modo, tametsi omnes Eucharistiam accipientes, idem Christi Corpus sumant, attamen fructus, qui exinde percipitur, major vel minor erit, juxta minores vel majores recipientium dispositiones. MANSI, disc. VI, n. 2.

Nosse debet finem, ob quem institutum est, qui quidem triplex est, potissimum ab Ecclesia his verbis indicatus: O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur. Primus ergo finis est, ut esset memoriale passionis, et infiniti amoris per passionem ostensi; quam ob causam per modum Sacrificii instituit, et ipsi Ecclesie inspiravit, ut in eo offerendo tales potissimum cæremônias eligeret, quæ ad eructum sacrificium in Cruce oblatum vel maxime essent accommo-

data. Hinc sicut olim Thales Mandryto Priensi, quem nova quadam de celo et sideribus docuerat, pecuniam, quantum vellet, offerenti respondit, se non aliud petere præmium, quam ut Thalessem non celet auctorem, cum horum incidit mentio; ita Christus pro hoc beneficio non aliam magis exigit gratiarum actionem, quam ut, quotiescumque hoc fecerimus, faciamus in ejus commemorationem. DÆX. in *Rosis.* p. II, c. VII. Secundus est, ut esset fons gratiæ et consolationis, ad quem in omnibus nostris necessitatibus recurremus; hinc per modum convivii instituit, ejus principale officium est nutrire, augere et delectare. Tertius est, ut sit pignus futuræ gloriæ; hinc Deitatem suam etiam et subsistentiam Corpori suo unitam dare voluit, ut, quo præstantius foret pignus, tanto firmiorem spem conciperemus promissæ gloriæ offerendæ.

Nosse debet, in quo consistit verus et solidus cultus Eucharistiæ, quem Christus a nobis in grati animi signum requirit, nimirum in sequentibus tribus officiis. 1. In crebra visitatione; ut scilicet, sicut ipse per viscera misericordiæ suæ visitavit nos oriens ex alto, fassusque est delicias suas esse cum filiis hominum; ita nos quoque vicissim ipsum frequenter in hoc SS. Sacramento latentem visitaremus, nostrasque cum ipso delicias esse ostenderemus. 2. In digna sump-tione; hanc quippe potissimum intendit, dum SS. Corpus et Sanguinem oblati nobis, ut non moreremur, sed viveremus in æternum, celesti hoc epulo recreati, 3. In sedula invitatione et distributione hujus Sacramenti; ut scilicet buccellam nostram non comederemus soli, sed potius clamaremus ad proximos nostros: Venite, et emite absque argento, et absque ulla commutatione, vinum et lac. Comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra.

Nosse debet, quæ ad dignam sump-tionem hujus SS. Sacramenti pertineant, scilicet probatio sui (juxta illud Sancti Pauli: Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat.) I. Cor. XI.

Hæc autem probatio in quatuor potissimum capitibus consistit, teste Canisio. 1. In fide viva, qua firmiter et simpliciter credatur, quidquid Deus de hoc mysterio augustissimo per Ecclesiam revelavit. 2. In seria penitentia, per peccatorum confessionem coram Sacerdote factam; nam, ut recte S. Augustinus advertit, in Christi corpore

vita nostra consistit; mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. 3. In mentis attentione; ut scilicet animus præsens accedat, et per meditationes et preces pias ad hoc tantum Sacramentum serio se convertat; nam, ut S. Chrysost. monet, adstat mensa regia, adstant Angeli mense hujus ministri, et tu oscitabundus adstas? 4. In decenti habitu et compositione, ut scilicet, nemo nisi castus, jejunos, modestus, supplex, minimeque sordidus accedat. Si enim Pericles interrogatus, cur longe cultior, quam alias solet, ad nuptias accederet? respondit: In gratiam sponsi, ut pulcher ad pulchrum veniam; quanto magis in gratiam tanti Hospitis similis præparatio adhibenda est ab eo, qui ad ejus convivium accedit? Cap. IV, de *Eucharist.* § 10.

Nosse debet, quæ ad communionem spiritualem digne et fructuose peragendam requirantur, nimirum 1. Ut sciatur, quid sit; nempe incensum quoddam desiderium sacramentaliter communicandi; hoc modo enim impletur, quod Deus per Davidem dixit: Dilata os tuum, et implebo illud. Ps. XVIII.

2. Ut sciatur, quod, qui panem hunc fide viva per dilectionem operante comedunt, fructum ejus et utilitatem consequantur, uti Concilium Tridentinum dixit: Certe non defuerunt, qui expertos se fassi sunt, non minorem fructum ex hac, quam reali Communionem, se percipisse. Sess. 3, c. VIII.

3. Ut privilegia hujus communionis bene intelligantur, quod scilicet oculos aliorum fugiat, atque adeo vanæ gloriæ non sit exposita; quodque singulis diebus, imo sæpius eodem die iterari queat.

Nosse debet causas, ob quas ex frequentiori Communionem minus proficitur, ut prudenter occurrere possit. Sunt autem quatuor potissimum ejusmodi cause. 1. Defectus intentionis; quia scilicet tantum ex consuetudine peragitur hæc Communio, aut certe ex timore. 2. Defectus legitima dispositionis; quia scilicet vel conscientia non est sufficienter purgata a peccatis, vel certe terrenis cupiditatibus est infecta. 3. Defectus devotionis in ipsa sump-tione; eo quod ad hanc mensam non aliter fere, quam ad corporalem cenam, accedatur. Qui cibum non præmansum deglutit, parum aut nihil gustus percipit; pari modo neque Eucharistiæ fructum dulcedinemque percipiet, qui non attenta consideratione summi doni ac beneficii se ad devotionem excitare studet. 4. Est defectus

collectionis post communionem. Quid enim vult, potionem medicam sumpsisse, si causa morborum non tollatur? Quid prodest hypocaustum vel balneum calefieri, si mox aperti undique januis calor inde exulet? Quid juvat unguentum pretiosum infundere in vas fractum, unde statim iterum profu-? FABER, in ser. II, *Pasch.* x, 2.

Talibus ergo sequentes veritates ponderandas Cornelius a Lapide offert. 1. Infirmus, Domine, qui tecum non exultat, valde prope est, ut cadat. 2. Anima, quæ tecum non exultat, unde poterit exultare? 3. Qui tecum, Domine, non est contentus, quomodo non crepat? 4. Qui, dum te Hospitem habet, proparat ut domo exeat, facile ostendit, se cor habere alibi obstrictum. 5. Cui tecum manere tadium est, nescit, quod tu sis Deus, et totum bono ejus. 6. Qui tecum non manet libenter, ostendit, se phrenesi laborare, cum hujus rei causa natus sit. In *Zach.* c. IX.

Nosse debet tentationes et dubia circa Communionem occurrere solita, quæ ad tres species revocari possunt. 1. Est circa fidelitatem, ob quam pluribus contigit, quod Aristoteli, qui quia Euripi fluxum comprehendere voluit, nec valuit, seipsum in illum præcipitavit. Contra hanc tentationem optimum remedium, piam et diligentem ipsius mysterii frequentationem Sanctus Franciscus Xaverius censuit *Vita.* l. IV, c. XXIII. Id quod etiam Thomas Kempens. indicavit, dum dixit: Fides a te exigitur, et sincera vita, non altitudo intellectus, neque profunditas mysteriorum Dei. Perge ergo cum simplici et indubitata fide, ac reverentia ad Sacramentum accedere, et quidquid intelligere non vales, Deo omnipotenti secure committe. 2. Est circa frequentiam Communionis, quam aliqui frequenter peragere horrent ob indignitatem; alii nimis raro concedi queruntur ob desiderium. Quia quidem in re optimum erit consilium, quod Sanctus Ignatius Sancti Francisci Borgiæ de hac re eum consulenti dedit, nimirum non esse una amussim omnia ingenia metienda; aliis rarius, aliis frequentius ad divinam mensam accedere, utile videri. Suadere itaque et hortari, prudenter aliquem, piumque virum e multis eligeret, ejus potissimum consilio in studio pietatis uteretur. 3. Est circa dispositionem debitam offerendam, maxime a conjugatis; qua in re bene notandum est consilium Sancti Francisci Salesii his verbis de

claratum : Si satis prudens sis, tibi nec mater, nec uxor, nec maritus, nec pater impedimento erunt, quo minus sepe sacram Communionem obeas; cum enim ipsa Communionis die, officii tui partes pro statu tuo convenienter expleas, et erga illos tum benignior, tum affabilior sis, nullumque genus obsequii illis deneges, verisimile certe non est, illos hoc in exercitio ulla tenus te impedire velle, dum nullum ipsis ex hoc secutura sit incommodum, nisi forsitan admodum impertinentes, morosi, et rationi dissentanei forent. Hoc in casu si Director tuus ita faciendum suaserit, illorum voluntati forsitan condescendum erit. Pro conjugatis hic aliquid addam oportet. In veteri lege veterat Deus, ne creditores diebus festis debitum a debitoribus suis exposcerent; at non damnavat, si debitores iis diebus ea, quæ debebant, exigentibus solverent. Indecens est, quamquam non magnum peccatum, matrimoniale debitum ea die exigere que sacram quis adiit Communionem; at indecens non est, immo meritorium, ipsum reddere. Non ergo ob debiti ipsius redditionem Communionem quis privandus est, si alioquin devotio ad ipsam adendam feratur. Certe in primitiva Ecclesia Christiani quotidie communicabant, esto essent conjugati, et prolihus operam darent. *Introd.* p. 2, c. xx.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

De Eucharistia secundum se.

Exponi possunt tres causæ principales, ob quas Christus instituit hoc Sacramentum. Videlicet. 1. Ad gloriam majorem Patris celestis, cui gratias est hoc sacrificium, quam infinita alia, unde etiam magis honoratur per unicum sacrificium, quam per omnes posibles actus creaturarum. 2. Ad majorem gloriam suam, quæ mire augetur per tot templa ei ædificata, per tot processiones institutas, et per tot Communiones cum summa religione et fervore a plurimis peractas. 3. Ad majorem gloriam nostram, quæ obtinetur tum per unionem Christi cum anima nostra, tum per copiosissimam gratiam, quæ in hoc Sacramento non tantum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, confertur, et est semen gloriæ olim secururæ; tum ex honore, qui ex hoc inæstima-

bili beneficio nobis solis exhibitio oritur, ut pro ratione ejus merito nobis applicatur illud Deuteronomii : Non est alia ratio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi. Excitandi proinde auditores, ut hoc triplici funiculo obstricti satisfacere studeant obligationi suæ, et ad prædictum finem triplicem frequenter debita cum dispositione hoc SS. Sacramentum sumere susceant. Quod si magis placet, possunt alia tres causæ institutionis afferri, nempe illæ, quas Ecclesia indicat, dum in festo Corporis Christi canit : O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur. Aut afferri possunt tres rationes a S. Thoma date, scilicet ut esset memoria passionis, sacrificium novi testamenti, et cibis hominum. Quas causas videre est fusius explicatas a P. Mathia Fabro, in Fer. v. Cœnæ Domin. conc. 2.

Explicari potest, cur Christus hoc Sacramentum sub duplici specie, cur sub speciebus panis et vini, et cur tandem sub speciebus visibilibus instituerit, quæ causæ iterum fusius explicate videri possunt apud Fabrum, l. c. conc. 2.

Ostendi potest, quomodo memorem fecerit mirabilia suorum in hoc Sacramento; dum scilicet in eo exhibuit compendium omnium suorum potiorum attributorum, nempe potentia, sapientia, bonitatis etc. de quibus videri potest Faber, l. c. conc. 5.

Comparari potest Eucharistia cum Manna Israelitis olim data ob quatuor causas. 1. Ob convenientiam in substantia. 2. Ob similes effectus. 3. Ob similitudinem suscipientium. 4. Ob ministrorum convenientiam; de quibus Faber, in Dom. 4. Quadr. conc. 6, et Beyrlinck in festo Corporis Christi, tom. III, ubi fuse differentias Mannæ et Eucharistia explicat.

Comparari potest Eucharistia Arbori vite ob tres causas. 1. Ob loci paritatem, quia sicut illa in medio Paradisi, ita hæc in medio Ecclesie, quæ rectus Paradisus, seu habitatio justorum, vocari potest, posita est. 2. Ob similitudinem qualitatum, quia utrumque erat pulchrum visu, et ad vescendum suave. 3. Ob finis æqualitatem; quia utraque ordinata fuit ad humidum radicale restaurandum, vitamque conservandam. Excitandi proinde auditores, ut sepe ad hanc arborem accedant, et de fructibus ejus gustent; e con-

trario vero a fructibus vetitis peccati studiose abstineant, ut in Paradiso hoc permanere, et de fructibus hujus suavissimæ arboris diutius frui possint.

Comparari potest Eucharistia carboni ignito, quem Seraphim forcepe ad Isaiam attulit. Circa quem tria spectari possunt Eucharistia perbene convenientia. 1. Ipse carbonis ignitus, qui sicut ex duabus rebus, carbone scilicet et igne compositus erat; ita recte Christum ex divina et humana natura compositum significat. 2. Seraphim, qui apportabat, per quem recte amor divinus, qui Christum impulit, ad hoc Sacramentum institutum, intelligitur. 3. Forceps, quocum apprehendit, per quem significari potest reverentia et dispositio, qua Christum in Eucharistia latentem suscipere convenit. Adde forte etiam posset : 4. Effectus, qui ex carbone illo ori imposito secutus est, quemque Seraphim his verbis indicavit : Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. Videri hæc possunt fusius a P. Drexelio, in Rosis, p. II, c. vii, § 3 et 4, explicata.

De Eucharistia Fructibus.

Comparari potest Eucharistia cœnæ magnæ, de qua Christus apud S. Lucam parabolam proposuit, probarique, quod magna sit. 1. Propter Regis instituentis excellentiam et dignitatem. 2. Propter invitatorum hospitium multitudinem, comparatione a convivio Regis Assueri desumpta. 3. Propter epulantiæ præstantiam. 4. Propter effectuum præstantiam. Excitandi proinde auditores, ut ipsi quoque magno cum desiderio, præparatione, devotione et gratiarum actione accedant; de quibus fusius Faber, in Dominica 2 post Pentecosten, conc. 1.

Comparari potest Eucharistia cum celebri illo convivio a quodam viro primario quondam Norimbergæ constituto, quod tribus mensis sibi mutuo impositis constabat. Prima non nisi cibus oculis pascentibus repleta erat; ubi miraenla in Eucharistia contenta explicari possunt. Secunda cibus solidis repleta fuerat; ubi ostendi potest, quomodo Eucharistia per modum cibi satiet, nutriat, pinguefaciat, et roboret animam. Tertia non nisi bellariis exquisitissimis constabat; ubi dulcedo et suavitas Eucharistia expli-

cari potest. Excitandi proinde auditores, ut triplici hæc mense triplicem dispositionem correspondentem afferant, et pro prima quidem magnam fidem et præparationem ante sumptionem; pro secunda magnam devotionem in ipsa sumptione; pro tertia magnam gratiarum actionem, et gaudium spirituale post sumptionem. Quem in finem servire potest concio seu thema I apud Beyrl, in festo Corp. Christi. Item conc. 5. in festo S. Thom. apud Fab. in Auctario, p. II, f. 45.

Explicari possunt fructus Eucharistia per comparationem Eucharistia cum cithara (nam Eucharistia per anagramma *Cithara Jesu* dici potest), ostendendo, in prima parte, quod Eucharistia perinde ut cithara constet duabus partibus, *quantitate* loco lignæe cavitatis, et tum virtutum præstantissimarum (puta humilitatis, obedientia, et charitatis, patientia, religionis) quæ inferiorum chordarum vicem subeunt; tum attributorum divinarum (puta sapientia, potentia, bonitatis, immensitatis, providentia) quæ superiores chordas representant, elucunt *qualitate*. In secunda, explicari possunt effectus citharæ hujus, quod scilicet multo efficacius et verius, quam cithara Orphei, aut Amphionis, aut Davidis pellat tristitiam, attrahat feras (peccatores), fuget spiritus malos, (dæmones), adducat saxa, (homines justos) polita ad ædificium terrestris et celestis Jerusalem (Ecclesie) perficiendum, maxime in agone; reducat animas Purgatorii ab inferis, et ante omnia ad Deum in sono citharæ laudantum conducit. In tertia parte, ostendi potest, quomodo pulsanda sit, scilicet quinque digitis seu affectibus, innocentia, seu charitatis per confessionem procurate, fidei, spei, humilitatis, gratitudinis. Servire ad hunc finem potest concio Fabri, priori numero indicata.

Potest Eucharistia comparari Arce Testamenti. 1. Propter similitudinem qualitatis; sicut enim illa foris vilis, et pellibus tantum tecta, intus autem plena auro erat; ita Eucharistia quoad ea, quæ videntur, non nisi viles species panis representat, intus vero tota aurea est, quia ex summa charitate a Christo instituta. 2. Propter res contentas, nam sicut Arca continebat tabulas Moysis, Manna, et virgam Aaron, quæ erant figura tantum; ita Eucharistia continet ipsum Legislatorem, et eum, qui per Manna et virgam Arceonicam præfiguratus erat. 3. Propter

effectus similes, sicut enim Arca specialiter conduxit ad omnia a Deo impetranda, quia Deus se ibi maxime propitium fore promisit, in dubiis neque consilium dedit, et occulta manifestavit, hostes fugavit, domui Obbedom copiosam benedictionem attulit, et irreverenter eam tangentibus, aut indigne possidentibus exitio fuit; ita hæc omnia S. Eucharistia modo longe perfectiori præstat, uti ex affectibus supra recensitis patet. Excitandi proinde erunt auditores, ut ad exemplum Davidis eum magna reverentia, lætitia, et júbilo eam in domum corporis sui introducant; neque dietera et irrisiones Michollis, id est, hominum obloquentium, curent.

Ex occasione thematis: « Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes; » (Luc. c. vi, 19.) potest Christus in SS. Eucharistia existens Medico comparari, et ostendi, quam perfecte contineat omnes dotes in Medico requisitas. 1. *Peritiam*; quia novit omnia genera morborum, et remedia; hinc solus genus humanum curare potuit. 2. *Felicitatem*; nam sanabat omnes, cæcos (id est, errantes in fide) claudos (id est, acediosos) hydropicos (id est, ambitiosos, et a superbia inflatos) paralyticos (id est, desperantes) leprosos (id est, luxuriosos) phreneticos (id est, iracundos) ieticos (id est, invidiosos etc.). 3. *Charitatem*, qua vult curare, et prompte operam suam offert: *Veniam et curabo eum*. 4. *Liberalitatem*, qua sine pretio curat infirmos, quinimo ipsemet illis varia dona et gratias offert. Excitandi proinde auditores, ut et illi Medicum hunc ad se vocent, reverenter excipiant, confidenter morbos suos et miserias aperiant, et consilia ipsius diligenter arripiant, et exequantur. Servire potest ad hunc finem Faber, in festo S. Barth. conc. 5.

Potest ostendi utilitas, quam morientes percipiunt a S. Eucharistia in articulo mortis sumpta, et ea probari ex rebus viatori necessariis. 1. Testimonium vitæ honestæ. 2. Vix dux et judex. 3. Gladius ad defensionem, vel certe tutelam. 4. Viaticum ad vires reparandas. Probetur, hæc omnia Christum in Eucharistia abunde præstare, atque adeo Communionem in eo articulo a nemine negligendam esse. Videri possunt hæc quatuor puncta, fusius explicata, apud Fabrum, in Dom. 20 post Pent. conc. 3.

De Dispositione ad Eucharistiam recipiendam.

Potest dici optimum esse modum fructuose communicandi, si observentur in morali sensu illa capita, quæ populus a Christo in deserto pastus docuit. Et 1. quidem si magnam famem, id est desiderium panis hujus Angelici sentiamus. 2. Si per triduum sequamur Christum; potest autem per hoc triduum intelligi vel triplex via, per quam tenditur ad perfectionem, scilicet purgativa, illuminativa, unitiva; vel tres partes Penitentia, attritio, confessio, et satisfactio; vel tres virtutes Theologicæ, fides, spes, caritas. 3. Si discumbamus, id est omnes curas et cogitationes impertinentes deponamus, et nos per nostri ipsorum seriam vilpensionem humiliemus. 4. Si gratias ferventer agamus tanto Benefactori. 5. Si fragmenta et reliquias colligamus, ne pereant, id est proposita, illustrationes et affectus pios, quæ sub Communionem accepimus aut concepimus, sæpius per diem revolvamus, et exequi deinceps studeamus; sic enim implebitur id, quod David dixit: Reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi.

Eadem præparatio explicari potest per actiones a turba, quæ die Palmarum Christum in urbem Jerusalemitanam introduxit, observatas. Et 1. quidem vestes (id est, peccata, inordinatas passiones, cogitationes sæculares etc.) exuamus. 2. Obviam eamus per ardens desiderium, excitatum per considerationem nostræ necessitatis ex una, et altera vero parte potentia, quam habet Christus ad dictam necessitatem sublevandam. 3. Cædamus ramos de arboribus, et sternamus viam, id est, reverentiam tam externam modeste compositi corporis, quam internam mentis in piis precibus et affectibus occupata, exhibeamus. 4. Accinamus Christo laudes per debitam gratiarum actionem pro tanto beneficio persolutam; invitemus omnes vires, ut debitum ei servitium præstent. Excitandi proin auditores ad hæc officia ita exhibenda, ut tamen simul caveant, ne, quemadmodum Israelita fecerunt, stantem illum iterum dimittamus, aut omnino iterum crucifigamus et occidamus. Videatur Faber, in Dom. Palm. conc. 4.

Potest hæc dispositio explicari per quinque digitos a S. Th. lateri Christi impositos;

nimirum. 1. Per intensam fidem. 2. Per affectum pudoris ac timoris ob præterita delicta. 3. Per profundam reverentiam et humilitatem. 4. Per gaudium spirituale. 5. Per affectum amoris intensi. De quibus fusius discurrit Faber, in Auctario et Festo S. Thome them. 5.

Occasione illorum verborum: « Exi cito in plateas civitatis, et voca pauperes etc. » Luc. xiv, 21. Ostendi potest, quomodo constituti esse debeant, qui digne ad SS. Eucharistiam accedere volunt, nimirum. 1. *Pauperes*, (id est, ab omni affectu erga res creatas liberi) et *famelici*, id est, magno desiderio hujus cibi accensi. 2. *Debiles*, id est, nobis esse diffidentes, confidentes vero in Christi bonitate et charitate. 3. *Cæci*, tum per captivitatem intellectus in obsequium fidei; tum per custodiam sensuum, ne inordinatum quid, aut indignum tali hospite admittant. 4. *Claudi* per reverentiam et humilitatem; uti fusius explicat Faber, in Auctario Dom. 2. post Pent. Them. 2.

De Frequentia Communionis.

Potest ostendi diversitas, quæ in Ecclesia floruit, quoad frequentiam Communionis, per statuum olim a Nabuchodonosore visam. Nam 1. in primitiva Ecclesia erat caput aureum, dum Christiani quotidie communicabant. 2. Argentea erat tempore S. Basilii, S. Hieronymi, et S. Augustini, ubi non quotidie quidem, sed frequentissime tamen Communionem sumebant. 3. Ærea tempore S. Chrysostomi, ubi rarius communicabatur. 4. Ferrea posterioribus sæculis, ubi vix quisquam sumebat Eucharistiam, aut certe non nisi post longum tempus. 5. Partim ferrea, partim lutea nostro ævo, dum scilicet aliqui semel in anno tantum, aliqui aliquoties in anno communicant. Subinde proponi possunt aliquot prudentes et salubres regulæ, juxta quas se quisvis Christianus quoad hanc materiam dirigere queat; quæque videri possunt, partim apud Fabr. in festo S. Thomæ conc. 3, n. 4, partim et valde bene apud Ludovic. de Ponte, tom. I, de Perfectione, tract. iv, c. vi, § 4.

Occasione illius thematis: « Et coeperunt se omnes excusare. » Luc. xiv, 18; possunt tria potissima impedimenta, quibus non pauci a frequentiori Communionem absterrentur, proponi, et removeri; quo-

rum primum indicatur per verba illa: « Villam emi, » et significat varia negotia et occupationes, quas aliqui pro excusatione prætendunt. Secundum per verba: « Quinque juga boum emi, » indicatur, et grave jugum inimicitiarum, contentionum, consuetudinum malarum, restitutionum debitarum significat, quo aliqui oppressos se, et a Communionem impeditos fatentur. Tertium per verba: « Uxorem duxi, » indicatur, et conjugalem amorem ac debitum, quod non pauci pro excusatione afferunt, significat. Ostendatur proinde, quam inanes et frivole sint hæc excusationes, et probetur, potius inde occasionem et causam sumendam frequentis Communionis; quem in finem conc. 3, n. 3 in Dom. 2, post Pent. in opere tripart. Fabri servire poterit.

Ex occasione Evangelii, in quo mulier, quæ fimbriam Christi tetigit; sanata fuisse commemoratur, explicentur causæ potiores, ob quas ex frequentiori licet Communionem optatum fructum non referimus. 1. Videlicet, quia non credunt a Christo sanari se posse, adeoque desiderium ardens illum tangendi et sumendi non concipiunt. Excitentur ergo hi ad majorem fidem et desiderium, demonstrata virtute Eucharistia ad gravissimos etiam peccatores convertendos, idque probetur, tum ex potentia et charitate Christi, tum ex ipsa experientia aliquot exemplis comprobata. 2. Quia non reverenter tangunt, ut mulier illa, quæ fimbriam tantum attigit, non ausa ipsum Dominicum corpus palpare. Excitentur proinde et hi ad similem deinceps reverentiam exhibendam, tum dignitate illius, qui tangitur et sumitur, demonstrata, tum variis eum in finem exemplis tam brutorum, quam hominum, allatis. 3. Quia non tangunt, id est, non cooperentur Christo, vitando occasiones, adhibendo media ad peccata vitanda, habitusque malos extirpandos. Excitentur proinde ad hanc cooperationem, tum ipsa rei æquitate ostensa, tum exemplis ægrorum corporalis infirmitatis laborantium allatis. Servire ad hanc concionem non parum poterit concio 2. Fabri, in Fer. 2. Pasche. Item Lud. de Ponte, in t. I, de Perf. tract. iv, c. viii, § 1. Rodrig. p. II, tr. viii, cap. xiii.

Eadem materia per parabolum seminis varium fructum afferentis explicari potest, dicique, 1. Quod semen hoc, id est Christus, interdum concitatur sensus viam, apud illos scilicet, qui omnino indigne communicant,

utpote in mortali peccato constituti. 2. Interdum cadat in petrosam terram, apud eos scilicet, qui per malos habitus, et politica ac secularia mundi principia sunt indurati. 3. Quandoque cadat in spinas, apud eos, qui bonæ quidem voluntatis, sed variis curis et negotiis secularibus, puta rei familiaris, officiorum, liberorum educandorum etc. sunt implicati. 4. Tandem in terram bonam cadit, apud eos scilicet, qui debitam dispositionem afferunt, et, prout major vel minor est hæc dispositio, trigesimum, sexagesimum, aut centesimum fructum referunt. Ostendatur ergo, quam male agant, quantumque damnum patiantur priores, dum tam nobile semen sine fructu quasi perire sinunt, et excitentur omnes ad terram optimam, id est, mentem optime dispositam deinceps offerendam.

Videri potest Bromiardus in Summa, V. Eucharistia c. vi, n. 20.

De Cultu publico seu Processione ad honorem SS. Eucharistie instituta.

Explicari possunt causæ, cur similes processiones institutæ sint, nimirum. 1. Ad publicam fidei contestationem. 2. Ad debitum honorem Christo exhibendum. 3. Ad gratum animam pro tam ineffabili et plane divino dono demonstrandum. 4. Ad compensandas injurias a Judæis olim, et hodie a malis Christianis, toleratas. 5. Ad oppida et urbes muniendas, uti S. Clara feliciter suo exemplo docuit, dum SS. Sacramento in manus accepto hostibus urbem obsidentibus ad portam se ferri curavit, et in fugam eos coniecit. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Fabrum, conc. 7 in festo SS. Trinitatis, et in Auctario Dom. 2. post Pent. them. 3. et apud Rupertum Lomese, in conc. de festo Corp. Christi.

Eadem materia percommode explicari potest per solemnem illam processionem, qua David Arcam fœderis in civitatem suam introduxit. Et 1. quidem institui potest comparatio inter Eucharistiam et Arcam fœderis, et inde ostendi, quanto major reverentia illi, quam huic debeat; pro quo fine servare possunt ea, quæ supra n. 10. dicta sunt. 2. Exemplo David ostendi potest, quomodo deductio ista fieri debeat, nimirum cum gaudio; cum quinque choris, id est, orationibus ferventibus; congregatione po-

puli universi, id est, omnibus viribus tam interioribus, quam exterioribus; immolationibus victimarum, id est, sui ipsius oblatione (id quod pulchre Thomas Kemp. l. IV, c. VIII, de Imit. ostendit); saltatione coram Arca in Ephod lineo, id est, desiderio proficiendi in via virtutis et servitio Dei; contemptu respectuum humanorum, et irrisivis a tepidis Christianis factis. Ad quæ omnia melius explicanda videantur, quæ Rodriquo, p. 2, tr. 8, cap. 3, 4, 5, discurrat.

Ostendi potest, qui potissimum processioni huic interesse debeant, videlicet, 1. *Cæci*, id est, non catholici. 2. *Claudi*, id est, tepidi Christiani, Christum ore confitentes, opere vero negantes. 3. *Debiles*, id est, debitam reverentiam et devotionem non ostendentes. 4. *Pauperes*, id est, omnes Christiani variis miseris et oneribus quoad animam pressi. Quæ omnia fuse et pulchre probata videri possunt apud Fabrum, in Auctario, Domin. 2, post Pent. them. 4.

Explicari potest tota processio a Christianis institui solita, et ostendi, quomodo omnes illæ ceremoniæ spiritualiter in communiōne, per quam Christus in templum animæ introducit, observare debeant. Et 1. quidem *Cruz præferri*, id est, confessio institui. 2. *Pertica floribus ornata, et laminae accenso instructa portari*, id est, modestia et decencia exterior corporis præferri. 3. *Musici congregari*, id est, laudes Christi per varias orationes decantari. 4. *Pueri Angelorum in morem vestiti, comitari*, id est, variæ virtutes, fidei, spei, charitatis, humilitatis, etc. exerceri. 5. *Hostia in argentea et deaurata theca portari*, id est, Christus pura per innocentiam et per charitatem deaurata mente recipi. 6. *Sequi proceres et plebs*, id est, cæli cives ad communionem invitari. 7. *Ignes festivi per tormenta majora, minoræ, et minima seu sclopeta excitari*, id est, charitas erga Deum, proximum, et seipsum ostendi. 8. *Hymnus Ambrosianus decantari*, id est, debita pro tanto beneficio grates persolvi; ad quem finem iterum Rodriq. I, c. cap. 7 et 8, videri potest.

ALII CONCEPTUS.

QUALITAS. — Rupertus Abbas quærens, cur Christus de cibo Eucharistico loquens, dixerit Joan. 6. *Hunc enim Pater signavit Deus*, sic respondet: Idcirco non nisi operantibus dabit hunc cibum Filius hominis, quia Pater

hunc signavit, hunc a communibus signis certo et proprio signo suo distinxit, ut, cum alios cibos omnes bonis et malis, operantibus et otiosis, communes fecerit, eadem largitate, quæ solem istum visibilem facit oriri super bonos et malos, pluit super justos et injustos, solum hunc panem, hunc cibum, de quo nunc loquor vobis, nunquam dare velit, nisi dignis, id est, operantibus opus Dei. Ita signavit, ita clausis omnibus cœlorum portis apud se continuit, ut non cum cibis communibus patiatur a canibus, vel a porcis inveniri. RUPERT. ABBAS, l. VI, in Joan. c. v.

Celebre est illud nulli non notissimum Assueri convivium, quod juxta unanimum sacrorum interpretum consensum, proprium Epuli Eucharistici est symbolum. Quod vero in eo ad nostrum præcipue propositum servit, loci est circumstantia. Etenim Susan civitas, in qua prædictum apparatus fuit convivium, omnium in Persia et Babylonia urbium nobilissima erat, versus flumen Coapse, in situ delizioso et ameno collocata, denominationem suam trahens a liliis, quibus abundabat. In lingua namque Persica et Hebræa Susan, *Lilium* sonat. Ac proinde ecce urbis aecommodatissimam analogiam: Candidus namque et immaculatus Agnus Sacramenti pascitur inter lilia, et pascit illa, id est, unicum ejus delictum consistit in alendo et nutriendo animas puras et continentis, inque iis sua reperit pasca. MANSI, disc. xiv, n. 12.

Alios inter ritus Ecclesiasticos olim ille non exstitit infimus, qui circa Agni Paschalis, primariæ hujus Sacramenti figuræ, esum, his verbis a Deo præscriptus fuit: « Caput cum pedibus ejus et intestinis vorabit. » At vero quorsum Sapientia increata exiles admodum ceremonias scribendas censuit? Utique per relationem, et propter allegoriam ad Agnum immaculatum et Eucharisticum. Unde S. Bernardinus ait: Præceptum erat, quod caput Agni cum intestinis et pedibus vorari deberet. In quo mysticæ designatur, quod in hoc Sacramento totus Christus cum Divinitate et Anima et Corpore ibi continetur, et sumitur. Caput Divinitas, intestina Anima, pedes vero sunt Corpus Christi. S. BERN. serm. LVII, a. 3, c. 1.

UTILITAS. — Aperuit Joseph horrea tempore famis, et ministrabat populis; hoc et de nostro dictum est: *Oculi Domini super justos, et sequitur; ut eruat animas eorum*

a morte, et alat eos in fame; nimirum illa, quam Deus per Amos comminatur dicens: « Mittam famem in terram, non famem panis, sed audiendi verbi Dei, » in hac fame positus noster Joseph, Christus Dominus, ex horreis suis nobis Divinam sui Corporis annonam ministrat.

E Paradiso terrestri quatuor universam terram irrigaturi olim directi fuere fluvii; hoc autem copiosissimum non aquarum, sed gratiarum, donorum, honorumque inestimabilem, non terrestris, sed cœlestis Paradisi flumen, sancta, inquam, Eucharistia, innumerus nos replet et irrigat cœlestium Charismatum torrentibus; quem conceptum his nobis verbis representat S. Chrys.: Ex Paradiso fons scaturit, a quo sensibiles fluvii emanant; a mensa hæc prodit fons, qui spirituales diffundit fluvios, juxta hunc fontem non steriles salices germinant, sed arbores cœlum ipsum attingentes, quæ fructus solidos semper producent, Sacramenta reliqua, tanquam tibi et canales, divinam ad nos transfundunt gratiam. Eucharistia autem ipsamet fons est aquæ salientis in vitam æternam; Paradisi vivam in se recludens scaturiginem, quæ hæc gratiarum aqua reliqua omnia Sacramenta fecundat. S. CHRYS. hom. XLV, in Joan.

Cujus super omnia alia Sacramenta eminentiam obstupescens S. Bernardus, cœlestem hanc mensam sequentibus honorat epithetis: Potesne æstimare, quale vel quantum est hoc Sanctum Sanctorum et Sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum? Hic bibuntur in loco uberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balsami cœlestis. S. BERNARDUS, in *Cœna Dom.*

Exodi 12. Deus præcepit Israelitis, ut baculum in manibus tenentes Agno se Paschali reficerent: « Sic autem comedetis illum, tenentes baculos in manibus. » Potius illis in procinctu ad proficiendum in terram promissionis constitutis, atque ab Ægyptiis hostiliter agitalis, præcipiendum fuisse videtur, ut manus ense, pedes vero calcariis armarent. Nazianzenus mysterium hoc explicans, inquit: Hic lex fulentem baculum tibi præseribit, ne animo titubet, cum sanguinem Dei et passionem audis, et impie corruas. Verumtamen clarius dicere possumus, quod, sicut baculus debilitatem nostram sustentat, ne corruamus, eodem modo quamdiu viatores sumus, Deus, qui cognovit figuratum nostrum, de hoc nobis viatico

providit, ut eo confortati in pedibus sustentemur, quia panis cor hominis confirmat. Unde Nazianzenus hominem sacra Communionem refectum his verbis alloquitur: In-nixus sta firmus et stabilis, atque ita comparatus, ut nulla in re quatiaris ad adversariis. NAZIANZ. *Orat. c. XLIII.*

Anno 528, cum civitas Antiochena horrendis terre motibus quateretur, multæque inde domus corruerent, Deus cujusdam viri religiosi animo inspiravit, ut civibus suaderet, ut hæc verba portis civitatis inscriberent: *Christus nobiscum stat.* Quibus verbis foribus civitatis inscriptis, mox omnis terre motus cessavit. Unde sequens indissolubile formare possumus argumentum: Si hæc verba ad sustentandum domuum muros, ne ex terre motu caderent, tanta efficacia fuerunt, quanto magis quilibet Christianus, sumpto hoc Sacramento, ab omni ruina securus esse poterit, quippe qui ejusdem Dei in Sacramento existentis corporalem in corde suo habet presentiam? Inter alias vero concussionis, validioresque ventos, quibus lutea nostra hæc domus conquassatur, impetuosissimi sunt inordinati nostri appetitus, tentationes sensuales, motus et stimuli carnis, alieque iræ, odii, avaritiæ, et similes passionis, quibus Eucharistia efficaciter resistit. Unde Ecclesia providit, ut in gratiarum actione post Communionem (quando vere dicere possumus, *Christum nobiscum stare*) inter alia hæc quoque devota verba dicantur: « Sit motuum meorum tam carnalium, quam spiritualium perfecta quietatio, in te uno ac vero Deo firma adhesio. » Et merito quidem id ipsum ab hoc Sacramento expectatur; nam, ut S. Bernardinus Senensis ait: Hoc Sacramentum roborat habitum gratiæ, ex quo tanquam ex armatura animæ, mens a pravis cogitationibus defendatur.

S. Bonaventura illam e libro Tobie adducit historiam, ubi Tobias junior ad flumen Tigris pedes loturus, a pisece invasus, modumque eum capiendi per Archangelum edoctus fuisse legitur: Quam rei geste seriem ita nostro accomodat proposito: Piscis iste est diabolus, hic quia humanum genus devoraverat, Deus Pater hamum contra ipsum misit, Filium suum; « an extrahere poteris Leviathan hamo? » (Job. XI, 20); invadens ergo diabolus escam humanitatis, captus est hamo Deitatis. S. BONAV. in *Cena Dom.*

Numa Pompilius de inimicorum contra se adventantium furis monitis, intrepide respondit: « Et ego sacrificabo. » Potius urbes munitionibus, et necessariis militibus, aliisque provisionibus instruere debuisse videtur; sed accuratior veritatis ponderator spem totam in Sacrificiis collocandam censuit; in sacrificiis, inquam, ovium, aliorumque pecorum, quæ falsis numinibus et dæmonii offerebantur. Quanto igitur majorem confidentiam populus Christianus in similibus angustiis et pressuris concipere debet, et dicere: « Ego sacrificabo. » Atque id ipsum in verbis Isaie nobis insinuat, quibus assertur: « In bellis precipuis expugnabit eos, (scilicet Assyrios, ad elevationem in sacrificiis. » ISALE, c. xxx. 32. Interprete Cornel. a Lapide in hunc locum. MANSI, *disc. xxii, n. 4.*

In Lib. III. Regum, c. iv, 23, dicitur: « Habitabat Juda et Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, cunctis diebus Salomonis. » Ast quale eos habuisse putatis tantæ pacis et ab hostili incursum immunitatis pignus? Utique non aliud, quam quia sub gubernio Regis pacifici debebant. Verumtamen *ecce plusquam Salomon hic*, qui sub Sacramenti hujus umbra vivit, nullum pertimescit inimicum insultum. Unde Origenes inquit: Tibi dabitur, ut requiescas sub vite tua, que est Christus Jesus; quod ut stabiliat, plenius ad illa alludit Sacramentum hoc instituentis Christi verba: « Non bibam amodo de hoc genimine vitis, » quia nimirum sub vitis illius umbra, que vinum producit germinans virgines impavidi requiescimus. ORIG. hom. xv in Jos.

Quando Cantic. 4 dicitur: « Sicut turris David collum tuum, que ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium; » per sponsam hanc Ecclesia designatur; que quare, obsequio, collum potius, quam quecumque alia pars corporis, turri, armamento, et inexpugnabili comparatur propugnaculo? Causamne nostis? De hoc agebat Sacramento, quia nimirum collum vehiculum est cibi, nutrimenti et potus, quibus totus sustentatur corroboraturque corpus; non itaque ulla pars corporis alia aptius significare potuisset effectus hujus panis et Eucharistici vini, quorum utrumque est turris inexpugnabilis. Atque hanc forte ob causam, Felix; Episcopus Bituriensis, vas fabricari jussit aureum in formam turris, ad custodiendam

Eucharistiam, quam et Ecclesia Sancta in vasis, tabernaculorum (quales militares sunt case et tentoria) figuram exprimentibus, custodire consuevit. MANSI, *disc. xxii, n. 8.*

Cum David, inter tria sibi proposita flagella, pestem elegisset, eo tempore, quo populus hæc strage flagellabatur, obtulit holocausta pacifica et propitiatus est Dominus; nimirum Altare quoddam erexit, et super illo obtulit holocaustum, incruenti Sacrificii symbolum; sed ubi, quomodo, et quo tempore illud obtulit? Observandum, quod Spiritus Sanctus non sine mysterio post oblatum holocaustum multas consequentes referat circumstantias; dicit enim: « Misertus Dominus super afflictione, ait Angelo percipienti populum: Sufficit nunc, contine manum tuam. » Sed ubinam tunc Angelus erat? Sacer Textus ait: « Erat autem Angelus Domini juxta aream Arene Jehosæ; » circa quæ verba notandum, quod Angelus nondum areæ huic pedem intulerat, sed tantum illi propinquus erat, quia juxta aream; in area autem, ut omnibus notum est, colligitur et excutitur frumentum ad faciendum panem; ecce tibi igitur, quando Angelus juxta hujus panis et frumenti electorum figuram (quantumvis remotam) stabat, Deus illi, ut Divinæ justitiæ ensem in vaginam reconderet, præcepit. Sed ubinam David Altare erexit, et in quo loco holocaustum hoc obtulit? « Emam a te aream, inquit, ut ædificem Altare Domino, et cesset interfecio, que grassatur in populo; » et ait Arene ad David: « Accipiat et offerat Dominus meus Rex, sicut placet ei. » Ubi, ut vides, in medio areæ frumenti Altare ad propitiandum et placandum Deum erigitur; quæ omnia in figura hujus Sacramenti contigerunt, per quod Deus nobis propitiatus efficitur. Id. *disc. xxiii, n. 9.*

Otho Imperator duos aliquando nactus, ambiguo jure decertans de agri cujusdam dominio, cum nesciret, cui justitia plausibilis faveret, ut utrique satisfaceret, terram illam emit, uni prætendentium pretium, alteri agrum ipsum consignans. Ita pariter imaginari nobis possumus cælum concertasse et terram, circi inestimabilis Corporis Christi thesauri contentionem; ut itaque utrique satisfaceret Imperator cælestis, modum reperit, ut Christus et in cælum rediret, simulque eodem tempore per presentiam corporalem degeret, subsisteretque in Ecclesia. Unde Drogo Ostiensis ait: Ecce su-

blatus es, amplius te tuus non videbit Eliseus, remansit tamen ei pallium tuum in memoriam tui, ut presentia absentia tue dolorem ejus semper et augendo leniat, et leniendo augeat. Pallium tuum est caro tua. DROG, l. I. de *Sacram. Dom. Pasc.*

Ideoque et S. Bonaventura de Eucharistia tractans, citata pariter applicat Salvatoris verba, dicens: Unde inquit Christus: « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. »

MISCELLANEA.

QUALITAS.

De Eucharistia secundum se.

S. Catharinæ Senensis Deus dixit: Uniuscujusque creature rationalis cor ex amore solvi deberet, quo Deus nos afficit, dando nobis suum SS. Corpus et Sanguinem in Eucharistia. *Dial. cxi.* Et merito: nam ut S. Laurentius Justinianus recte dixit, hoc beneficium nec humanus valet explicare sensus, nec Angelicus intellectus, sed solus ille novit, qui solus voluit et potuit facere in eo tanta ac talia, ubique omnipotens, ubique gloriosus. S. LAUR. *Jusr. lib. 1. de Cæsto Con. c. xxiv.*

Artaxerxes, Persarum Rex, cum ad eum Themistocles a suis expulsus venisset, tanto gaudio repletus est, ut ter noctu a somno evigilans exclamaret: *Themistoclem habeo!* Quid faciat, qui Christum hospitem habere meretur? *PLUTARCH. in Themist.*

Jonathas amorem suum erga David ostensurus expoliavit se tunica sua et reliquis vestibus usque ad carnem, teste Tostato. Quantus amor Christi, qui ipsa etiam carne sua se expoliavit, et illam nobis dedit! *TOSTATUS. q. 10. in l. I. Reg. c. xvi.*

Arthemisia, Carie Regina, tanto maritum suum amore dilexit, ut non tantum Mansuolæum miraculis mundi annumeratum exeret, sed etiam ossa et cineres illius odoribus permixtis imberberit, ut sic vivum mariti sepulchrum fieret. Sed major Christi amor, qui etiam quoad carnem nobis uniri voluit. *AGELLIUS. 40. noct. Attic.*

Veteres Christiani peracta S. Communionem *Christophori* vocitabantur, quasi Christum ferentes. S. CYRILL. *Catech. 4.*

Theodosius Imperator sacris interdictus

in hæc verba erupit: Ego gemo calamitatem meam, quia servus et medicabulis patientem templi Dei, et Dominum suum exorantes ingrediuntur; mihi vero ad in ingressus non patet; insuper et cœli mihi clausi. Ita ille, quid ad hoc illi, qui sponte sua se hoc supplicio puniunt, et Communionem privant? NICEPH. I. XIII.

Incredibilis erat amor David in Jonatham, cujus filio Miphiboseth claudo dixit: Restituum tibi omnes agros Saul, et tu comedes panem in mensa mea semper. Quantus amor Christi, qui etiam se ipsum nobis in cibum apponit! II. REG. IX, 7.

Perse Regis sellam tam eximio cultu venerantur, ut in ea quemquam alium sedere capitale sit. Hinc Alexander militem frigore pene nectum in sua sede collocans dixit: Equid intelligis, quanto meliore sorte, quam Perse, sub Rege vivatis? Nam illis in sella Regis sedere, capitale foret, tibi salutis fuit. CURTUS. I. VIII. c. VII. Sed quanto melior conditio Christianorum, qui etiam in sinum a Christo recipiuntur!

Cum S. Ludovicus, qui fuit tertii Ordinis S. Francisci, anno 1249, captus Sultano fuit, ob ejus liberationem petierunt Barbari sibi tradi in pignus Sacrosanctam Eucharistiam, quia perspecta erat eis Regis pietas, qua non sineerit pignus illud in manibus hostium detineri; aut, si eam negligeret redimere, æternum Christianis dedecus maneret, eos in manus hostium Deum suum tradidisse. Oppignorata est itaque Eucharistia, et S. Ludovicus liber fuit dimissus; qui fideli pecunia missa SS. Eucharistiam redemit. In ejus rei memoriam Saraceni aurum signarunt, Hostia Calicis superincumbente; eadem in picturis et tapetibus Ægyptiorum visuntur. Immo et Cayri in introitu portarum visuntur etiamnum ipsamet insignia, Calix scilicet cum Hostia et duobus Angelis utriusque thus adolentibus. Denique ipsa Saladini Sultani effigies gerit in manu sceptrum aureum, cujus summitas Calice cum superimposita Hostia, seu ciborio Eucharistico adornatur, cum hæc inscriptione: « *Victoria testis.* » *Bibl. Paup.* I. I. de jur.

Mystici quidam doctores de Dei Matre tradunt, eam ab accepto rursus in viscera, quasi pro viatico, SS. Filii Corpore, incorruptis etiamnum speciebus, vi amoris in præsentem Filium animam exhalasse, atque adeo SS. Eucharistiam cum corpore B. Virginis translata in cœlum, hodieque ma-

nere in Virgineo pectore perspicuo, ut in crystallo perlucida, ut a Beatis summa cum voluptate, velut fons resurrectionis, tota æternitate adoretur. ENGELG. de ASSUM. B. V. §. 2.

Catharina, vidua Paraguaricensis, etiam post mortem virtutis et pudicitiae studiosa, ut huic alimenta apte subministraret, caste mentis vigorem Angelorum pane alebat, cujus in primis erat appetens. Forte postridie, quam vires eo cœli commatu refecerat, rus comite filiolo petebat, cum eam insidiator impurus invasit, et primum blandus ad flagitium sollicitavit, dein minas ac vim adhibuit; at Catharina vires ab animo mutata, invasorem fortiter repulit, gravique vultu ac oratione: « Tigris, inquit, prius ac mille pestes hoc corpus invadent, quam ut illud sceleris prostitum. Si vim paras, eam ut homicida vitæ inferes, nunquam pudori; nec unquam efficies, ut heri ad hoc convivium admissa, hospitium ipsius hodie tanto sacrilegio profanem. » Nefarius muliebri victoria indignatus, e proxima silva raptim ramum corripit, quem in laquei modum sepius contortum nihil vel in sententia, vel nutu mutantis collo injicit, ac tandem illam ad extremum usque spiritum constantem sparto tunc suffocat, deinde puellam a morientis sinu avulsam terræ illidit, ac maternæ constantie reum immanis carnifex necat, et utrumque corpus terra obruit. Non potuit diu nec scelus, nec virtus latere. Eruta cadavera solemnissima pompa (utpote Martyrum) templo illata fuere, ac funebri oratione heroinæ virtus laudata. Sicarius ipse tanti facinoris postea penitens, ad Catharinæ laudes hoc præcipuum caput adiecit, eam non magis alia de causa tunc a flagitio abhorruisse, quam quod reverentiam Deo hospiti, quem heri recepisset, debere causata, nullum diceret se supplicium, ita ut violati divini hospitii, immo templi, dedecus, formidare. *Messis Paraguar.* f. 228.

Abominabile, et omnibus diris execrandum est facinus, quod ante paucos annos in Gallia contigit. Noctu Parisiis fuit Sacerdos e domo sua jussus ab ignotis in currum paratum conscendere; et is per platearum ambages vectus, ad aedem magnificas venit. Adducitur illuc in aulam amplam, ubi nobilitas multa virorum ac mulierum fuit, sed personata, ne posset agnosci. Ibi in erecta ara jubetur Sacrum facere; excusanti se jejuni non esse, mortem intentant. Sacri-

ficiam igitur inchoat. Ubi venit ad consecrationem, iterum tactus religione Sacerdos cunctatur, sed iterum jubetur pergere, aut mori. Ubi vero ad summptionem venit, jubetur abstinere. Ac mox duo ephebi in vase aut patina aurata bufonem adferunt, ei jubent sacram Hostiam dari, ea data, magna cum pietatis imitatione et modestia omnes cæteri adstant. Sacerdos dein iterum ad currum ductus, per easdem ambages ad suas aedes fuit eadem rheda auctus. *Ex Principis de Longueville Relat.*

EFFECTUS. — Inter mirabilia mundi hoc nonnulli graves auctores referunt, esse fontem quemdam, ad quem si placidis oculis et in eum semper defixis accesseris, aquam puram invenies; sin ab eo oculos alio deflectas, aut eum alio loquaris, turbidam. Sic Eucharistia, de qua recte S. Thomas: Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inaequali vitæ vel interitus. GRANAT. in *Silva v. Euch.* f. 696.

Duo insignia xenodochia in ægrotantium subsidium Toleti destinata sunt, alterum ad ægrotos decumbentes, alterum ad reconvalentes reficiendos, ne iterum in morbum relabantur. Sic Christus duo Sacramenta instituit, Penitentiae pro peccatoribus lapsis, Eucharistiae pro justis, ne amplius labantur, *ib.* f. 699.

Rahab meretrix salutem consecuta est cum tota domo sua, quia ducis a Deo missi exploratores semel exceperit; quid non sperabit, qui Filium Dei a Patre cœlesti misit, sepius devote receperit? S. AUG. in *serm.* XVIII. *Soc. Luc.*

B. Magdalena de Pazzis aiebat, animam, suscepta Eucharistia, posse vere dicere cum Christo: Consummatum est! quia in hoc cœlesti cibo omnia bona continentur, utpote per quem Christus producit omnes virtutes, et bona, et gratias, adeo ut nihil amplius desiderare possit, cum in eo sint omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei. Alias dicebat, unam Communionem bene factam sufficere ad animam faciendam perfectam. *Vita*, p. IV, c. IV. Hinc dicebat suis Novitiis: Si desideratis brevi venire ad perfectionem magnam, accipite pro Magistro vestro Christum Crucifixum, attentas illi præbete aures, quia perpetuo loquitur in corde, sed præcipue in illa hora, quando recepistis SS. Sacramentum. *Vita*, I p. c. LXV. Alio tempore vidit ordines Religiosos significatos per multas semitas ornatas ar-

boribus et vitibus, et in eis vidit aliquos pasci avis, eos videlicet, qui cum magno fervore Eucharistiam suscipiebant; alios evellere vites, et earum loco spinas serere, nempe eos, qui cum exiguo fervore et gustu Communionem peragunt. *Vita*, p. IV, c. XIII. Quomodo ex divino lumine cognoscebat, Eucharistiam esse mammillas Christi, per quas divinae dulcedinis suavitatem sugimus. *ib.* c. XV.

Hippocratis jusjurandum erat: In quamcumque domum ingressus fuero, ad ægrotantium salutem ingrediar. Sed rectius hoc Christo attribuitur. NADASI, in *Anno Eucharistico*, heb. x.

Achilles cervorum medullis sub Chirone educatus, adeo valebat cursu, ut Pindarus dicat, eum cervos sine canibus assecutum. Quam agilis fiet ad perfectionem assequendam, qui carne Filii Dei pascitur? *Ibid.* hebd. 44.

Quamprimum sacerdotes arcam federis portantes aquam Jordanis ingressi sunt, steterunt illæ, et montis instar intumescunt; posteriores vero omnino in mare mortuum descendeant. Quanto magis sperandum, si Christus corpus nostrum subeat, peccata præterita omnino delenda, ea vero cohibenda, que de novo nos aggrediuntur? *Jos.* III, 35.

Cum miles quidam in castris Gedeonis vidisset in somno subnicerium panem ex hordeo in castra Madian devolvi, eaque percutere et subvertere, Gedeon hoc audiens adoravit, et reversus ad castra Israel dixit: Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian. Quidni magis Christus, per panem hunc figuratus, similem effectum in anima producat? *Job.* VII, 25.

Si Eliseus cum pallio ab Elia relicto accepit duplicem Spiritum ejusdem, ita ut alter Elias crederetur, quanto magis Corpus Christi nobis unitum, etiam Spiritum illius nobis communicabit? *IV REG.* II, 15.

Macrobius ait: In moribus inolecendis magnam fere partem nutriscum ingenium et natura lactis tenet. Hinc Remus et Romulus lacte lupæ lactati, ad latrocinia propensi. Uxor Marci Catonis etiam ancillæ filios lactabat, ut iisdem moribus, quibus proprii filii præditi fuerant, imbuerentur, eosque uti germanos amarent. Imo Nicetas hortabatur Alexandrum, ne muscas abigeret, sic enim ejus sanguine pastas excellentiores longe fore, quam ceteras. Qualis fiet, qui a

Christo velut mamilla Dei pascitur, et lactatur? LANCI. opusc. XIII, l. IV, c. IV.

Si Jacob dixit ad Laban: Modicum habuisti antequam venire ad te, et nunc dives effectus es, benedixitque tibi Deus ad introitum meum; quid non sperabimus ad Christi ingressum? GEN. XXX, 30.

Mithridates, Ponti Rex, cum Mithridaticum medicamentum invenisset, ita sumum corpus per hoc corroboravit, ut, cum postea ad Romanam captivitatem evitandam veneno vitam abrumpere vellet, non potuerit. Quanto magis, qui celestem hanc medicinam frequenter et pie sumet, efficiet, ut mori æternum non possit? S. FRANC. SALES. in *Introduct.* p. 2, c. XX.

Si fractus molliores, et corruptioni præ aliis obnoxii (puta cerasa, poma amœnia, et fraga) facili negotio per totum annum conservantur, si saccharo aut melle condiantur; quanto magis sperandum erit, corda nostra, tametsi fragilia et imbecilla, a peccati corruptione preservantur iri, si ab incorruptibili Carne et Sanguine Filii Dei condita fuerint? Ibid.

Quomadmodum homines, in Paradiso terrestri agentes, secundum corpus mori non poterant, idque vi et efficacia ligni illius vitæ, quod in medio ejus Dominus plantarat; sic spiritualiter idem mori non poterunt, si de fructu hujus SS. Sacramenti, quod est vere arbor vitæ æternæ, gustaverint. Ibidem.

Eucharistia, dulce verbum, vox melliflua ac suavitate plenissima! Etenim interpositis hujus verbi litteris, quid invenis, nisi hoc anagramma: CITHARA JESUS?

Interrogatus quidam pius poeta quid esset *Sacramentum Eucharistiæ*? ingeniose respondit: CHARA CERES MUTATA IN JESUM, quasi dixisset per hoc anagramma: Frumentum cui, apud Ethnicos, præerat Ceres, convertitur, apud Christianos, in carnem Jesu, prolatis SS. Mysterii verbis.

AUCTORES.

Alphonsius Rodr. p. II, de *Exercitio perfectionis*, tr. VII.

Hieremias Drex. in *Rosis lectis*, part. II, cap. VIII. Item, in *Zodiaco*. Symb. III.

Nicolaus Lancizius, opuscul. spiritual. 14, de *Efficacia Eucharistiæ*.

Philippus D'Outreman, in *Pædagogio Christiano*, part. II, cap. XVI.

Joannes Nadasi, in *Anno Eucharistiæ*.

EXAMEN CONSCIENTIÆ.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est seria super actiones suas quotidianas reflexio; ad quam jam olim S. David hortatus est dicens: Irascimini, et nolite peccare; quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

DIVISIO. — Dividitur in *universale* et *particulare*; illud circa omnes diei actiones; hoc circa unam dumtaxat ac particularem materiam, occupatur. RODRIG. p. I, tr. 7.

ACTUS GENERALIS EXAMINIS. — Primus est, *Deo pro acceptis beneficiis gratias agere*; quæ quidem actio, ut S. Bernardus monet, debet esse devotione plenissima et deliciis affluens, ne contingat nobis, ut tanto gravius de ingratitude judicemur, quanto magis accumulatis beneficiis ingrati probemur exiitisse. S. BERN. s. de 4. mod. orandi. Clarius vero, quomodo hæc gratiarum actio fieri debeat, explicat alibi, dum ait: Disce in referendo gratiam non esse tardus aut segnis, disce ad singula dona gratias agere. Diligenter considera, quæ tibi apponuntur, ut nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla. Denique jubemur colligere fragmenta, ne pereant, id est, nec minima beneficia oblivescit. SERM. LI, in *Cent.* Sic enim, ut inquit S. Chrysost. continuam gratiarum actionem Domino poterit exhibere. Hoc maximum est sacrificium. Hæc oblatio perfecta. Hoc fiducia nobis fiet occasio. S. CHRYS. hom. LXXII, ad Pop.

Secundus est, *lumen a Deo petere ad peccata sua cognoscenda et defendenda*. Quod tanto ardentius faciendum est, quanto clarior nobis constat, nos in vitiis alienis lyneæ, in propriis perspicendis talpas esse.

Tertius est, *rationem a se cogitationum, verborum, ac operum exigere*. Quis enim, inquit Hierocles Ethnicus, ita alium alius, atque se commonefacere valeat? Quod enim sui juris est, si naturæ libertate utatur, aliorum consilia facere respuit, cum illis parere non

statuit, at non potest non audire se necessario, quæ intus est ratiocinandi vis. Istam Deus esse voluit, quæ nostram curam gereret, istam duem atque magistram; istam etiam tunc judicem dignorum operum ratio efficit, et factum ab ea judicium completitur, ut sum ipsa calculum adiciat, quidnam in se vel laude, vel reprehensione dignum judicet. Apud Stobæum, s. III.

Hinc S. Laurentius Justinianus ait: Quisquis virtutum amator est, sui diligens inquisitor sit. Quo impulsus, quoque affectu ipsi moveatur mens, considerare non negligat. Multi varii sunt interioris animi motus, et ad cognoscendum difficiles. Quid vero potissimum examinandum sit, jam olim Pythagoras discipulos docuit, dum eosdem monuit, ut mane et vespere se de tribus examinarent: quid fecissent? quo pacto fecissent? et quid tandem eorum, quæ facere oportebat, omisissent?

Quartus est, *dolore de peccatis commissis*; quod quiescuntque facit homo, toties Dei Filium inestimabili novæ exultationis suavitate affectus, eadem verba (scilicet: Vidi civitatem sanctam Jerusalem) concinit Deo Patri, uti S. Gertrudis divinitus intellexit. Hinc, teste S. Bernardo, diligit Deus animam, quæ in conspectu ejus et sine intermissione considerat, et sine simulatione dijudicat semetipsam. S. BERN. serm. III, de *Adventu*.

Quintus est, *propositum emendationis concipere*; cum hoc enim, ut eadem S. Gertrudis intellexit, veraciter efficitur homo tabernaculum Dei, in quo tanquam in domo propria habitare dignatur Dominus majestatis, Sponsus animæ amantis.

ACTUS EXAMINIS PARTICULARIS. — Primus est, *mane propositum serium concipere, vitandi aliquem certum defectum, aut virtutem exercendi*; cui proposito non immerito illud Ascetæ applicari potest: Secundum propositum nostrum cursus profectus nostri. LIB. I, c. XIX, § 2, de *Imit. Christi*.

Secundus est, *dolere de lapsu, manu peccatori admota, quoties ceciderit*; electi enim, teste S. Gregorio, culpis suis nunquam sciunt parere, ut possint culpam Judicem placatum invenire. S. GREG. I, I, Mor. c. XVII.

Tertius est, *sub noctem numerum lapsuum examinare*; et sic quodammodo cum S. Job dicere: Quantas habeo iniquitates et peccata? Scelera et delicta mea ostende mihi. JOB. XIII, 23.

Quartus, *diem cum die, hebdomadam cum hebdomada conferre*, uti S. Chrysostomus monuit, dicens: Ne ita simpliciter jejuniarum hebdomadæ prætereant, scrutemur suam quisque conscientiam, et rationem examinemus, et consideremus, quidnam in hæc hebdomade probe actum sit, quid in alia, et quæ augmentum fecerimus ad sequentem; quas in nobis affectiones correxerimus? S. CHRYS. hom. XI, in *Gen.* Cujus collectionis fructum alibi ostendit, dum ait: Discamus igitur et vitia nostra recentens, ea tempore corrigamus, et hoc mense unum, alio aliud, et ita subsequenter meliores efficiamur. Sic enim tanquam per gradus ascendentes per scalam Jacob ad cœlum pervenimus. Etenim scælæ illæ mihi per illam visionem paulatim per virtutes ascensum significare videtur, per quam a terra ad cœlum ascendere nobis licet, non gradibus sensibilibus, sed morum incremento et correctione. Idem, hom. LXXXVIII, in *Joan.*

Quintus est, *pœnitentiam sibi pro numero lapsuum injungere*, juxta S. Petri consilium dicentis olim Simoni: Pœnitentiam itaque age ab hæc nequitia, et roga Deum, si forte tibi remittatur hæc cogitatio cordis tui. ACT. VIII, 22. Quod quidem ille de interna potissimum pœnitentia intellexit, merito tamen etiam in hac materia de externa intelligi potest; nam judicis officium est, non tantum accusationes audire, et absolvere, sed etiam damnare, et muletam dicere.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Irascimini, et nolite peccare; quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. PS. IV, 3.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. PS. L, 4.

Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum. PS. LXXVI, 7.

Ecce constitui te hodie super gentes et regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipas, et ædifices, et plantes. JER. I, 10.

Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti. Revertere, virgo Israel, revertere ad civitates tuas istas. Usquequo defi-